

1. von der Harst f. Herm. I pri.
mus Genesios Libellus,
Helmstädy, 1718.
2. ——— Ars et Vis ex
fontium Hebraicorum Re-
censione Capite Genesios
XXXIX. Helmstädy, 1718.
3. ——— Integritas Cap:
Genesios XLII. iuxta
Hebræos fontes, Helm-
städy, 1718.

4. ——— Candor Capitis
Generos XLV. Helmstädy
1718.

5. ——— Prosperitas
Capitulum Generos XLVII et
XLVIII. Helmstädy, 1718

6. ——— Lutheri s. Mart. (Enarr.
tio Psalmi LII, Helmstädy
1701.

7. ——— von der Hardt s. Herm.
jonas, Helmstädy, 1718

8. ——— Amos, Helmstädy
1718.

9. ——— jubileum Hu.
maritatis et fontium
Hebræorum et Græcorum,
qui per Erasmus et
Ximenium primum exhi.
biti, celebratum, Helm.
städy, 1717.

10. ——— Memoria secula.
ris Ximenij, Helmsta.
dy, 1717.

11. ——— Memoria
Chrysolora Bizanti.
ni, Helmstädy, 1718

12. von der Hardsl. Herrn (memoria Steph. Bru-
lefer, Helmstadt 1718
13. Brulefer pro Ouesnello,
Helmstadt, 1718.
14. von der Hardsl. Herrn. /
prodromus Concilij
Basiliensis, Helmstadt
1718.
15. — Circe Homeri,
Circha Phocidis, Libro
x Odisee submonstrata,
Helmstadt, 1716
16. — Gorgones cum
Phereo et Graeis ex
Historia demonstrata,
Helmstadt 1718.
17. — Mundi ordo
Helmstadt, 1718

diese Ausgabe 00 Fr.

72 19

EPHEMERUM,
Venenum Colchicum,
saluberrimum.

A. MDCCXVIII. d. II. Octob.

Ἡμερσι μῦσαι!

τήλιαι ἀνήμερσι!

Procul hinc procul este profani!

Helmstadt,
Typis SALOMONIS SCHNORRII.
A. MDCCXVIII.





*Experientissime Vir,
Conjunctiss. Domine Collega.*

Misisti heri *illustris Wedelii Experimentum*
curiosum de Colchico veneno & Alexiphar-
maco. Quo munere nullum mihi accep-
tius, atque ea medicina nullam præstantiorem
contra virulentos morbos dare potuisses, Medice.
Judæi, amuletorum cupidissimi, agnovere ex ve-
tusta traditione, multis terra nascentibus inesse
vim in corpus hominis vel præservandum con-
tra morbos, vel restituendum, si vel appendan-
tur saltem aut gestentur, non imbibantur. Qui
amuletorum טרעפּ מאַגעיִוּן usus, sine superstitione,
saluberrimus est, medicina efficacissima, non
tam fascino mentis aut affectuum vinculo, quam
vera in corpus operatione. Quæ foris applican-
tur vim medicam non exuunt, sed penetrant, &
ad exteriora vocant quæ profunde latent, &
plus sæpe juvant quam omnia infusa. In his
extrinsecus applicandis commendata præ ceteris
mihi quondam a doctore Judæo *argentum vivum*
& *atractylis*, *gestata in thecis.* Subrissi ante quam
penetrarem Judæi senis artem, aut medicinæ ad-
hibendæ vel rationem vel modum, persuasus, ut
illi

illi amant symbola, designari ab illo *argenti & auri*, illius albi aut *candidi*, hujus *crocei* metalli, usum in vita, quæ valida sint amuleta contra omnis generis venena, febres & pestes in civitate aut provincia. Sed hæc amuleta *fures* invitare non arce- cere, noveram, neque illis comparandis unquam me dederam, qui labore & sudore acquisitos nummos impendere sueveram ut in hunc diem soleo in publicos usus, vel adificiorum publi- corum, vel typographorum, in studiosorum com- moda: Quare edoctus ab illo doctore aliter, ubi sum sciscitatus, animadverti *rem esse vere medicam*, quæ ad forenses artes, ad commercia fraudulen- ta ac imposturas civiles non spectet, sed ad lim- pidi *sanguinis* præsidium, qui candido isthoc *ar- gento vivo* ex officina præmuniatur fortiter, ut & *croco* vel *atractyli*, & illius quidem generis, cui no- men alias *hermodactyli*. Periissem, puto, plus sim- plici vice, nisi fidem habuissem isti medico, non falsus. Ubi neglexi, sensi damna, immemor unde. Nec ergo nisi ex cælo, ex oraculo, Apollinei Me- dici, Wedelii, alexipharmacum.

Febres sane & his diebus me exussissent, nisi æstum temperasset *atractylis* hoc autumno. Quamobrem præ gaudio non possum quin memorem paucis & obiter, quæ ante plures an- nos *de hoc bulbo* dispicienti inciderunt, cum do- ctor ille Judæus vim tum nominum tum rerum perobscore significaret, etsi forte probe cognovis- se videretur. *Hermodactyli* nomen fere omnes, quos vidi hæctenus, reddidere *Mercurii digitum*. Est quidem *Ægæus Hermes Mercurius*: Sed unde

huic bulbo *Mercurii* character? Et unde *digitus* cognomen? Quod igitur istam appellationem ex *mytho quodam græco* derivatam esse non aperte ad- hucdum constaret, suspicatus sum, *hermodactyli* nomen non esse ab Ἑρμῆς, *Mercurius*, sed ab ἐφήμερον, *ephemerum*, quod proprium fere huic bulbo & plantæ nomen, quod *vel uno die* subito extinguat venenato succo. Prior adeo hic character ἐφήμερος proprius ac genuinus, *venenum, Φάρμακον δηλητηριον, præsens*, lædens & extinguens brevi, vel *ipso eodemque die*. Similiter δακτύλος, *digitus* index, non respectu *Mercurii*, nec a bulbi forma, sed corrupte ex ἀτρακτύλις, *atractylis, crocus*, a forma seu colore externo plantæ *croceo*.

Quod enim *hermodactylus* seu *ephemerum, croceo colore* fallat, nomen a specie illa externa impetra- verit, ut & plane *crocus sylvestris* *wilder Safran* audiret: Quæ alias planta veneno caret, salubri- tate potius insignis, cujus grana carthami nomi- ne *Zytho ægyptiaco* mixta una cum lupulo for- tem reddidere cerevisiam: Uti quondam *libello de Baccho & Zytho ægyptiaco* subindicavi. Sed *solius color croci sylvestris* cognominaverit illam plantam *ephemerum*. Quoniam porro *crocus sylvestris* ap- pellatur *Saracenus*, ideo ob paritatem coloris Ara- bibus etiã *ephemerum* illud dictum *سارنگان* *Sar- rangân, Saurangân*, quod est ipsum *Σαρακενῶν, Sara- cenû, Saracenicum*, quod *croci* epitheton: Pari uti mo- do vox *δακτύλος* appareat nata ex *ατρακτύλις, crocus*, in hoc plantæ nomine, pro celeriori pronuntiatio- ne. Quomodo *Hermodactylus* non *Mercurii digitus*, sed ἐφήμερον-ἀτρακτύλις, *ephemero atractylis, ephemerû croce.*

crocum, seu *crocei coloris*; planta lethalis, deleteria, crocea. Speciale proinde nomen *ephemeri*, cum generali, à colore croceo, *atractylis*. Quid si & germanorum appellatio, pro ephemero hoc insigniando, *Zidlose*/ *Zitlose*/ *Zeitlose*/ *Zirlose*/ non a *tempore*, quod autumnus floreat, sed a voce græca *ἀτρακτύλις*, idest, *crocus*, a colore croceo? Quomodo & *wilder Saffran*/ non re, sed specie aut apparentia. Postquam ergo pro *ἑφήμερον ἀτρακτύλις* dictum usu *hermodactylus*, Arabes etiam ita appellaverunt, *هَرْمُودَاكْتِيل* *Hermes azabe*, quod est, *Hermodactyli*, sive quod vocem *Hermo* crederent esse ex *ἕρμης* *Mercurius*, sive potius quod pro una voce sit ex *hermodactylus*. *Ephemerum* hoc *Colchicum* audit tandem, sive ex copia illius in *Colchide*, sive ex *mytho poëtarum*, qui *Medea* tribuerunt *artificium magia*, quæ ex hoc ephemero, seu *hermodactylo*, sive *atractyli*, sive *croco*, *Zitlosi*/ *venena* parare & inficere docta fuerit.

Sane *Medea* illa *Poëtarum*, regina seu regii generis dicta, cujus grandia facinora a mythologis memorata, tum pro *aureo vellere* per *Jasonem* ex *Colchide* auferendo, tum pro *Jasonis connubio*, nulla unquam ex mente *poëtarum* *femina*, sed *urbs* & *gens*, eaque non in *Colchide* ad pontum *Euxinum* in oriente, sub *Caucaso*, sed in *Phocide* ad sinum *Corinthiacum*, *Medeon*, græca *urbs* & *gens*. *Colchidis* figura, ex *Poëtarum* arte effigiat urbem *Chalaonem* prope *Medeonem* in sinu *Corinthiaco*, in *Phocide*. Quam rem nonnihil illustrare contigit A. 1715. in *aureo vellere Argonautarum*, ex *Orphei thesauris*.

Quod ad Medæ plantam, *atractylin*, *hermodactylum*, sive de ea bibatur, aut manducetur, lethalem, attinet, non poculum, non pharmacum, ex poetarum ingenio & scapo, uti nec Colchidis regio, in Asia, ubi crescat, sed urbis est illius laudatæ Phocidis, *Chalaon*, symbolum & character. *Chalaon* Phocidis uti pro analogia nominum scenam *Colchidis*, respectu vicinæ urbis *Medeon*, suppeditavit, ita & *Chalaonensium civium* fortitudinem, arma, vim, robur, imagine *hermodactyli*, venenatæ plantæ Colchicæ, scite effigiavit. Hæc arguta poetarum consuetudo, remotæ *geographiæ* circulis uti, & peregrinarum rerum *naturalium* in regionibus illis obviarum naturas applicare ad suam patriam, ad res illius in scena oblique describendas. *Colchis* sistitur foris in theatro, sed recte in scena interiori designatur *Chalaonis* in Phocide regio. Ephemeris aut *hermodactyli* herba *Colchica* ostentatur similiter foris in scena, intus *Chalaonensium* virtus bellica, si quis illos lacestat, subindicatur. *Medea* perita artis hujus, miscendi pocula *hermodactylo* aut ephemero ad tollendum alios haurientes, foris in theatrum prodit: Sed latet sub peplo *Medeon*, civitas Phocica, quæ *Chalaonensium civium* artibus uti docta contra omnes, illi ditioni aut locis inhiantes, hostes quoscunque.

Sed longius non progrediar in poetarum hortis, ad *Medea* artes observandas, quando præsens illud venenum presentissimum adversus venena est remedium, & *Medeon Chalaonensium* fortitudine & auxiliis usa tum ad arcendos hostes, tum ad defenden-

dendum se contra hostium insultus. Uterque campus, poëticus & medicus, habet hanc plantam: Utraque ars, poësis & medicina, venenum in illa monstrat Colchicum: In utroque horto æstimatur hæc planta pro antidoto. Suavis harmonia poëtarum & medicorum, ut nemo poëtam intelligat, nisi medicum consulat.

Est sane in *ephemero* arcanum admirabile, inexplicabile, quod & *animo*, non corpori solum, *faveat incomparabili modo*: Uti sanguinis in homine constitutio, mutatio, conservatio, plurimum confert cerebri motibus, adeoque & genio. Et medicina non tantum corpus & massam illam terream afficit, sed & non parum mentis usui confert, ut sit sana mens in corpore sano. Quod si plantæ, hæ, illæ, gustatæ potis sunt ita extra orbitam movere mentem, ut illa velut priveretur homo, sanguine & spiritibus læsis: Possunt & aliæ præstare contrarium, vigore dato præter opinionem; quod & facit suo loco *ephemerum*. *Ephemerum meum*, meum dico, quod me servavit sæpe, & servabit: *Venenum vivum*, seu in vivis servans. *Ephemerum* tolerabile & suave, sine molestia, sine periculo, gratum & desiderabile. *Venenum* portatu jucundum, quod venena extinguat, nec corpus lædat: onus leve, utile, necessarium. Febres, pestes, alicubi insensibiles, donec arma nanciscantur: Et *ephemerum* interdum appareat sine usu, donec vim suam ultra spem exerat. Propinatum mihi *ephemerum* sub finem anni 1704. 1705. 1707. 1713. & sequentibus mensura non exigua, Hausi sciens partim, partim

❁ ❁ 8 ❁ ❁

tim infcius, sed ubi antidoto sum usus *ephemero*
pro calido lacte, *ephemerum mixtum præcordia*
non attingit. Serenior evasi, & multo robustior.

Et si quod *pharmacum ephemero virulentius*,
ephemerum alexipharmacum contra *petechias*
& *virus pestium* furens. Et *parietibus domus* af-
fusum *maceratum ephemerum*, nil finit conta-
bescere, *saxa* non sentiunt aliud *virus*, *quiescunt*,
nec moventur. *Virus unum altero virulentius*,
sed & *unum altero superius*, *venenum veneno*
lethale, uti *araneus bufonem puncto inflamat*
& *necat*. *Linea aranei tenuissima fortior magno*
bufonis circulo. *Mitesce*, inquit *oraculum*, &
nullus te uret ignis. Vale *Suavissime Collega*,
& si quid *illustri Wedelio* reddere meo lubet
nomine, quod te *facturum heri significasti*,
mitte *Gorgones* & *græas*, & quære, ubi *talium*
feminarum sint *greges*? Adde, si lubet, *Testa-*
mentum meum A. 1705. pie *conditum*, *Sagittaria-*
no Jenensi forte non *parcius*: Illud datum *Histo-*
riarum publicis *professoribus*, hoc *Linguarum O-*
rientalium & *vetustissimorum orientis scriptorum*
interpretibus. Iterum vale ac vive diu.

Scrib. in *Colchide*, A. MDCCLXVIII. d. ii.
Octobr.

ἡμετέρας alexipharmacum.

Didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse
feros.

ἀντίδοτον antidotum!

155 109

ULB Halle
003 132 48X 3



82


AB 155 109 00

1

7/12.107.







22-19

EPHEMERUM,

Venenum Colchicum,
saluberrimum.

A. MDCCXVIII. d. II. Octob.

Ἡμεῖσι μᾶσα!
πῆλιστα ἀνήμεροι!
Procul hinc procul este profani!

Helmstadt,
Typis SALOMONIS SCHNORRII.
A. MDCCXVIII.